

יריעות תלויות סביב האשרה היה כות ומקום יפירש
 Probabile est, quod כרות מרות שהם מרות
 fuerint hac ipsa aulea suspensa circumquaque circa idolum, ut es-
 set instar domicilii & fixæ sedis. Et explicat Author libri, qui
 Baal Aruch inscribitur, & commend. in Exod. allegoricus Mechil-
 tha dictus, quod fuerint mensura, i. e. velamenta longissimæ ma-
 gnitudinis, ut tale ex iisdem posset confici tentorium, quale in de-
 sertis Dux Isacidum divino jussu struxerat. Ibi enim יריעה ple-
 rumque adhibetur: neque improbabile est gentilium dæmonola-
 triam imitatam esse relligiosam pietatem mulierum Exod. 35. 25.
 quinimmo totam horum כרות structuram confectio-
 nis in deserto originem suam debere mecum asseret, qui paullo ac-
 curatius fabulas (y) gentilium ex sacris historiis desumptas & ritus
 profanos exinde etiam translatos mecum reputaverit.

§. VII. Sed nescio, quo præpostero amore atque zelo
 aduersus impiam gentilium prudentiam abrepti quidam omnia in
 sacris Hebræorum usitata ritualia eorum ritibus originem debere
 non erubescant credere & prolixo scripto ejus etiam rei proba-
 tionem conari; in quibus facile sunt principes *Jobann. Spencerus*
 & *Job. Marsbanus*, uterque Anglus, quorum autem artes fig-
 mentaque deludit satis graviter ejusdem fidei *Hermannus Wit-
 sius* Prof. Trajectinus in *Ægyptiacis*. At hæc hypothesis quam
 falsa sit, cuivis licet intelligere; repugnat enim Dei O. M. prudenti-
 æ, quæ summa est, a gentibus hos ritus a suis in cultu sacro ad-
 hibendos mutuari? At, inquis, hoc ipsum opus est div. sapientiæ,
 qua pertinaci populo recepta concessit, & aliena in sua transtulit
 objectis eorundem immutatis. Judæis dudum jam baptismus est
 adhibitus, & proselytos eo imbui tam necessum erat, quam cir-
 cum-

(y) conf. *Samuel Bochart. Phaleg & Canaan*, ubi passim fa-
 bularum vestigia in sacris exhibet. *Dickinsoni Delphi Phœ-
 nicissant. Daniel Huet. Demonst. Evang. L. 1. pag. 99.*
 seqq.